

Q. K. 517, 10.

(X 199 1043)

12

II n
8868

IOANNI CONRAD
 RATZIO VORMATIENSI, ADU-
 LESCENTI HONESTO ET DOCTO,
 cūm ei in inclyta Argentoratensium Academia Prid.
 Non. Iunij, Anno 1584. à Spectabili D. Decano
 IOANNE PAPPO S. S. Theologiae Do-
 ctore prima Philosophiae Laurea
 decerneretur:

GRATVLANTVR AMICI.



ARGENTORATI
 Apud heredes Christiani Mylij.
 M. D. XXCIV.

BIBLIOTHECA
 PUNICKAVIANA

UNIVERSITÄTSBIBLIOTHEK
 HALLE
 (SALE)

AD IO. CONRADVM
RATZIVM.

Sic iuuat tandem iuga summa montis
Scandere: & forti superare mente,
Castra qui circum posuere celsam
Palladis arcem.

Vnde victori decus est paratum:
Quo solet Pallas decorare cunctos,
Qui sui duram seriem laboris
Fortiter urgent.

Ergo ne Musas coluisse frustra
Sentias: primos tribuunt honores,
Et tuos RATZI redimunt virenti
Fronde capillos.

Gratulor quare tenui Camæna
Iam tibi letus: Deus hos honores,
Hora quos præsens tibi dat, Sodalis,
Augeat oro.

Ioannes Steindeccerus
Helenopolitanus.

ALIV D.

Nunc Conrade veni: nunc rapido pede
Mi Conrade veni: magnanimi viri
Chytræi genitus sanguine, qui foves
Musas molliculas: illius optimi

Diuini Clarij qui sequeris vias:
Quo se Rostochium iactitat inclytum:
Quo Germana suum consequitur decus
Pubes: & columen quem celebrant suum:
Qui, Divina sonat iura per omnia
Christi regna: pio qui loca proxima
A Luthero habeat: num iubet inclyta
Te virtus igitur magna sequi tuis
Ausis, quæ labor, & quæ studium parat?
Et virtus stimulis te ciet acribus:
Te patrisq; grauis commouet indoles
Docti: qui populo munera cœlitus
Nobis missa, a vidis tradidit auribus.
Nec desistit idem dicere maximus
Grinerus tuus: (in cuius habes domo
Musis tuta tuis tecta) per omnes
Artes Castalijs ponere fontibus
Sacris castra locis: ora liquoribus
Pimpleis auido tota rigareq;
Sensu: nec tua mens absuit optime
Hic longum Iuuenis: te senis inclyti

Chytræi monuit nomen, ad ultimas
 Terras quod viget: hinc addidit indoles
 Patris calcar: habent verbaq; pondera
 Grineri sua: nec tum siluit tua
 Virtus, egregia quæ micat indole:
 Maecte ergò Iuvenis docte, ter optimo
 Natus sydere, qui fata geris bona.
 Nunc huc quæso veni: nunc celeri pede
 Mi Conrade veni: sume tuum decus
 Sertis Pierijs quod referes: sacra
 Quæ lauro viridi composuit cohors.
 Te ceu fata volunt optima: sic cape
 Felici tua nunc numine munera:
 Ut post hac referas maxima nomina.

M. Nicolaus Gabelmannus
 Megalopolitanus.

ALIVD.

Εὐδαίμων πάνυ ὄν κλέος κ' ἄριστον
 Ζῆλ' ἄεξει:
 Καὶ πρῆς μὲν ἔρωσ φαινὰ ῥέζειν
 Ἔργα κελεύει.
 Οὐτ' ἄλλ' ἀμειβόμενος χρόνοιό δ' ἄκνους
 ὄραν ἔλειψε:
 Αὐτὰρ παννύχι' ἄθ' ἀθ' ἀμύγ' τε
 Πολλὰ τελέσας.
 Εὐδαίμων σὺ δίοτ' ἰνὼ ἰσάρχεις
 Ρ' Α' Τ Ζ Ι Ε πάμπαν:

Ο' τ'

Ὅτι αἰὲν κάμψον Φιλῆϊς ἀοκνὸς
 Τῆς ἐνὶ βίβλοις.
 Ζηλοῖς γὰρ γενεῆῃρα σε γεραῖον
 Ἄνδρα ἄριστον,
 Ἐνθείοις λόγιμον λόγοισιν ἄνδρα
 ὅτι βίωσεν.
 Τέτρα ἐσπόμην ὦ πρόβια αἰὲν
 Ἰχνεσι πιστός·
 Καὶ κῦδος, καμάτῃς γέρας φίλισον,
 Κ' ἔνομα ἕξεις.
 Νυνὶ μὲν σέφαν ὦ κάρηνον ἀβρὸς
 Σείο ἀγάλλει
 Ἐκ δ' ἰάφνης ἐριθηλέως γε ταχθεῖς
 Κομψός, ἀραυός·
 ὄν σοι ἀντ' ἀρετῆς καλῆς ἰεσσεδῆς
 Φῶς ἀγακλείος
 ΙΩΑΝΝΗΣ διδόει σοφός γ' ὈΠΑΠΠΟΣ
 Φαίδιμ ὦ ἀνὴρ.
 Ταύτη σευ δρετῆ ἔγὼ κλέειε
 Φέρτατ' αἰτῶ.

M. Petrus Friderus Mindensis,
 Φιλίας ἕνεκα.

ALIVD.

O lux candidula, & niueo signanda lapillo
 RATZI, tibi dulcissime,
 Qua tu Parnassi scandis sacra culmina montis,
 Phæbi faventis numine:
 Quò suaves violæ vernant, plenæq; pudoris
 Rosæ, atq; cana lilia:

A iñ

Quo fons Castalius passim per florida tempe,
Fluit sonoro flumine.
Nunc habitare iugis datur, & de fronde corollam
Gestare lauri vertice.
Sic ô, sic merito cultores auget honore
Suos Apollo, & gaudio.
Gratulor ergò tibi sortem, Conrade fidelis,
Et corde toto gratulor.
O nimium felix: ô fausto sydere nate:
Qui mistus inter virgines
Pierias, Charites, doctasq; Heliconis alumnas
Audis stupescens, carmina
Dulcia dulcisono certatim fundere ab ore:
Sacrumq; carmen fundere.
O RATZI, certè gallinæ es filius albæ,
Qui mistus inter virgines
Pierias, tereti deducis pollice versus,
Phæbi sacris in saltibus:
Hoc doctore facis: quicquid facis: ille corollam
Tibi merenti lauream
Spontè dedit: dedit & sacros conscendere montes,
Ibiq; flores carpere.
Sis felix, viuasq; tuo contentus honore
Longum, valeasq; prosperè.

Sigismundus Aemylius
Hanoviensis.

ALIVD.

Laudibus evehitur famam virtute paravit
Quicumque: & meritò præmia laudis habet.
Gloria per duros est indaganda labores:
Gloria post studij tædia mille venit.
Non datur ignavis Phæbi conscendere montes:
Effugiunt pigras munera tanta manus.
Qui fuerit segnis, turpem feret ille repulsam:
Nec teget ignaum candida bacca caput.
Scilicet id vigili tecum dum mente retractas
RATZI, Pierio connumerate gregi:
Ocia de vitas studijs addictus honestis,
Plenaq; desidiæ tempora nulla teris.
Non te luxuries: non turpis inertia fregit:
Cura tibi studijs incubuisse fuit.
Vnde tibi, lauro dociles lambente capillos,
Emeritum cingit prima corolla caput.
Gratulor ergo tuo, RATZI ornatissime, honori,
Quem mentis peperit vis generosa tuæ.
Iam tibi perpetuos studiorum carpis honores:
Carpis & ingenij dona beata tui.
Maçte animo forti: cœptum & benè perfice cursum:
Sic tibi victurum nomen in orbe feres.
Vive valeq; diu, fama super æthera notus
RATZI, iudicio pars benè lecta meo.

Michaël Clenovius Ham-
burgius Saxo.

ALIVD.


QX
Th
84/89

*D*Vm tereti liceat gratari carmine cunctis,
Egregium quoddam qui meruere decus:
Gratulor ex animo RATZI tibi, grator honores
Tales, quos Phœbi numine dante capis.
Iam tua cinguntur Daphneide tempora lauro,
Ambit & aureolum bella corolla caput.
Vnde sed insignes quæris tibi dentur honores?
Vnde simul veniant laureaserta tibi?
Scilicet ex meritis merito celebraris honore,
Proq; tuis studijs præmia iusta capis.
Atque equidem fas est, vt laudis præmia portent,
Nomen ab ingenio qui peperere sibi.
Ac, verum vt fatear, non hæc tibi gloria somno
Peruenit, è studijs non aliunde venit.
Quod superest, Phœbus tibi quos decreuit honores
Pignora virtutis, consule quæso boni.
Pergito sic doctis operari, pergito, Musis:
Vberiora tibi præmia, amice, feres.
Euge animo forti: studijs imposito finem:
Et quo cœpisti, sic pede semper eas.
Trans IgefeLICes saLVVseLICIter annos,
FortVnetqVe peto Cœpta seCVnDa DeVs.

Hector Mengerus Hanouiensis.

FINIS.

M



Q. K. 517, 10. (X 199 1043)

12

II n
8868

IOANNI CONRAD
RATZIO VORMATIENSI, ADU-
LESCENTI HONESTO ET DOCTO,
cūm ei in inçlyta Argentoratensium Academia Prid.
Non. Iunij, Anno 1584. à Spectabili D. Decano
IOANNE PAPPO S. S. Theologiae Do-
ctore prima Philosophiae Laurea
decerneretur:

GRATVLANTVR AMICI.



ARGENTORATI
Apud haeredes Christiani Mylij.
M. D. XXCIV.

BIBLIOTHECA
PUNICKAVIANA

UNIVERSITÄTS- UND LANDESBIBLIOTHEK
HALLE (SAALE)